

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXVI—LXXVII

INDE AB DIE XVI M. OCTOBRIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

LECTIONUM SOPHOCLEARUM

PARTEM SECUNDAM

F. V. FRITZSCHUS

PRAEMISIT.



TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTIONUM

ACADEMIA ROSTOCHENSIS

SENIORIBUS HIERONYMO A. ADOLPHO XXVI - LXXVII

IN DIE ANNO XVI M. OCTOBRE

ROSLITZ IN V. L. 1807

LECTIONUM SOPHOCLEARUM

PATRIS REGII

W. J. WITTMANN

ROSLITZ



Habeo non pauca multis abhinc annis inventa, quae jam dudum edere et poteram et fortasse debebam. Quae si nunc tandem vel omnia vel potissima vulgare ipse coepero, amicis post mortem meam onus demam aut certe levabo alienum opus idque postumum edendi magno sane labore et plerumque ingrato. Atque in hoc genere insunt etiam, ad quae nuper redire coepi, Sophoclea. Omnino tamen insunt quum admodum varia, tum ea partim quae nemo exspectet, ad quae vix quisquam accedat nisi necessitate coactus ac paene collo tractus obtorto. Quare illos philologos soleo beatos praedicare, qui in magnis academiis locati eos juventuti explicare scriptores aliasque literarum partes tradere possunt, in quibus adeo habitant, ut et ipsi inde voluptatis plurimum et auditores fructum capiant uberrimum. Adeo quorum virorum tanta virtus est, ut in amplissimo campo excurrere cognoscique possit, ii tamen cum literarum bono plerumque quodam minore gyro continentur et certis scholas suas finibus possunt includere. At in minore academia non multi magistri sed singuli fere aut ad summum bini e tanto literarum nostrarum tamque immenso ambitu quam plurima complecti solent veriti, ne studia earum artium, in quibus cessatum fuerit, ipso silentio de juvenum manibus excutiantur. Itaque nos hic in ampliore quodam literarum orbe stamus vel inviti: qui orbis quum septimo quoque mense versetur, eas potissimum scholas eligere debemus, ad quas-cunque nos praesens necessitudo juvenumque nostrorum utilitas converterit. Ac ne ea quidem inventa, quae apud me adhuc in tenebris jacent, omnia e fructibus studii sunt privati, sed plurima mediis e scholis depromenda, ad quas nisi otio diligenter praeparato nunquam accedimus. Pertinent autem haec studia ad bene multos Graeciae Latique scriptores et pleraque generis sunt critici: alia ad artem grammaticam, ad metricam, ad historiam literarum, ad antiquitates scaenicas et atticas referuntur. Haec igitur adversaria delectu habito justoque servato ordine tandem aliquando edere institui, si prius Lucianum meum solvero. Sed revertor ad Sophoclis Electram et ab extrema fabula v. 1390—1434 Herm. (1398—1442 Br.) incipio. His in locis post v. 1422 (1429) unum Orestis trimetrum excidisse Seidler vidit De VV. D. p. 248, errans ille tamen in dispositione carminis universi, quam non ut Erfurditius sed quodam leniore modo frustra instituit. Immo et versuum responsionem, quae Erfurditio in universum debetur et ejusdem descriptionem personarum Hermannus ad v. 1390 tam manifestis tamque certis argumentis confirmavit, ut jam his in rebus editores Hermannum ducem merito sequantur. Itaque restat hoc unum, ut aliquot versus tractem et (si forte) corrigam, quos ab aliis nondum video sanatos esse. Quanquam neque in mutilis quae perierunt recuperare licet, neque in mendosis quae vitiata sunt certo omnia emendare. Cujusmodi est v. 1406 (1414) istud Laurentiani: *φθίνει φθίνει*. Attamen si ego in antistrophico v. 1428 (1434) *τελείν* pro *πάλιν* feliciter restitui: verisimile est nostri versus ultimum verbum fuisse *φθίνειν* infinitivum, ut si quis Eurip. Phoeniss. v. 416 comparet et scribi velit: *ὦ πόλις, ὦ γενεὴ*

τάλαινα· νῦν σε | μοῖρα καθάμερτα [καλεῖ] φθίνειν. Alia sunt certiora. Ita v. 1408 (1418): εἰ γὰρ, Αἰγίσθω θ' ὁμοῦ recte habet illud θ' et sic explicandum est: ,utinam (porro diceres:) Aegisthoque simul' h. e. ,utinam diceres: ὦ μοι μάλ' αὖθις Αἰγίσθω θ' ὁμοῦ. Porro de v. 1410 (1420) ita olim scripsi verbotenus: ,pro πολέροτον corrige παλίοροτον et accipe de sanguine, qui quasi amnis refluus in caput auctoris recidat. Plane sic de hac ipsa re loquitur etiam Euripides in Electra v. 1150: παλίορους δὲ τάνδ' ὑπάγεται δῖκα | διαδρόμου λέχους. Haec margini edit. Hermannianae adscripti, qua cum scholiis a P. Elmslejo editis tum quidem sola uti mihi licuit in Sophocle primum diligentius perlegendo. Longo tempore post cognovi etiam Bothium παλίοροτον rescribi voluisse. Haec igitur correctio mihi invito praerepta est, non item alia, quam eodem tempore margini adscriptam non minus certae fidei esse arbitror. Nam initio antistrophici v. 1412 (1422) princeps chori persona Oresten cum Pylade foras prodire nuntians: καὶ μὴν, inquit, πάρεσιν οἶδε· φοινία δὲ χεῖρ | στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω λέγειν. In oculos incurrit haec corrupta esse. Sed de plerisque conjecturis tacere praestat: una tamen, quod nonnullis male probata est, non omittenda videtur Erfurdti: οὐδ' ἔχω ψέγειν (pro λέγειν) i. e. ,caedem Clytaemnestrae nequeo vituperare'. Quasi aut iudicium interponere liceat de re nondum comperta, aut chori tragici et generosarum virginum sit ut jure caesae exitum laudare reginae suae ac palam defendere foedum Orestis parricidium. Quid igitur aliud hic res ipsa exposcit? Chorus quum reginam iterato ictu percussam esse et praeterea nihil audisset, scire nondum poterat, utrum occisa esset planeque confecta, an vulnere non mortifero adfecta, denique utrum suo sanguine an percussorum ipsorum manus inquinasset. Hinc sequitur poëtam ita scripsisse: Καὶ μὴν πάρεσιν οἶδε, φοινία τε χεῖρ | στάζει θυηλῆς δ' Ἄρεος οὐκ ἔχω λέγειν. ,Manus, inquit, cruore stillat: victimas vero Martis non habeo dicere', i. e. ,nescio quem res eventum habuerit'. Neque vero haec sententia, ut Hermannio videbatur, satis frigida est. Nam post haec ipsa chori verba Electra quoque eventum se rei ignorare fatetur. Omnino autem mos tragodiae fert, ut chorus quodcunque non certo scierit, pro certo se adfirmare neget, veluti chorus in Aeschyli Agam. v. 247: τὰ δ' ἐνθεν οὐτ' εἶδον οὐτ' ἐννέπω. Confirmatur emendatio nostra etiam Homereo illo in Il. i, 220: ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλῆς. Ergo vix credibile est, Sophoclem singulari numero θυηλῆς uti maluisse. Postremo illud φοινία τε χεῖρ στάζει ad proxima superiora verba refertur chori ipsius: παλίοροτον γὰρ αἶμ' ὑπεξαίρουσιν, ut τὴ particula hic posita sit aptissime. Tum in proximi versus initio *HA.* Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ; Reisigius (in Conject. p. 238) verissime reponi jussit: *HA.* Ὀρέστα, πῶς κυρεῖτε; de qua re Hermannus male dubitabat. Transeo ad v. 1425 sq. (1431 sq.) *OP.* εἰσορᾷτε πού (recte Hermannus: εἰσορᾷτε ποῦ) | τὸν ἄνδρ' ἐφ' ἡμῖν; *HA.* οὗτος ἐκ προαστίου | χωρεῖ γεγηθὼς (ultimam partem trimetri interiisse jam Brunckius animadvertit). Conjeceram ego suppleveramque hoc modo: *OP.* εἰσορᾷτε ποῦ | τὸν ἄνδρ' [ἰόντ'] ἐφ' ἡμῖν; *HA.* ἐκ προαστίου | χωρεῖ γεγηθὼς οὗτος [[ἐντόνῳ ποδί.]] In his certam fidem habere videtur transpositio: *χ. γ.* οὗτος ob strophicum v. 1404 (1412): ὥκτειρεθ' οὗτος οὐδ' ὁ γεννήσας πατήρ, ubi item est οὗτος. Ita μὲν exstat et in strophico v. 1400: ἡ μὲν ἐς τάφον et in antistr. 1414: τὰν δόμοισι μὲν, utrobique sub finem trimetri. Eaedem fere conjecturae sunt tum Martini: τὸν ἄνδρ' ἰόντ' ἐφ' ἡμῖν; *HA.* ἐκ προ. | *χ. γ.* γεγηθὼς οὗτος tum vero Wolfii: τὸν — ἡμῖν βάντα; *HA.* καὶ μόνος βάδην | χωρεῖ γεγηθὼς οὗτος

ἐκ προαστίου, qui in transponendis illis οὕτως ἐκ πρ. Palatinum codicem secutus est. Sed veniamus ad versus proximos: XO. βᾶτε κατ' ἀντιθέρων ὅσον τάχιστα | νῦν, τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τὰδ' ὡς πάλιν. | OP. θάρσει τελοῦμεν. HA. ἡ νοεῖς ἐπειγέ νυν. Nihil hic loci est reticentiae. Quanquam enim et comici et satyrici non raro aposiopesi utuntur, ut ego in Quaestt. Luc. p. 61 sq. et p. 104 ostendi: tamen in tragoedia graeca non item ut in hodierna poesi temere oratio abrumpitur. Et hoc quidem Hermannus ad v. 1413 et ad v. 1428 bene observavit. Pessime igitur Triclinius alique τὰδ' ὡς πάλιν — cum reticentiae signo ediderunt. Nihilo melius est, quod Wunderus θῆσθε tacito adsumi voluit tanquam in oratione imperfecta. At scriptores attici sententiam hoc modo finire nequeunt ὡς πάλιν. vel ὅπως πάλιν. vel ἵνα πάλιν. subunctivo verbi absurde omisso. Ita ei demum, qui haec viderunt corrupta esse, merito laudandi sunt, Musgravius, Heimsoethius, alii, quorum conjecturas utpote inutiles praetereo. Equidem haec dico ita legenda esse, ut ΗΑΙΝ in ΤΕΛΕΙΝ mutetur scribaturque: τὰδ' ὡς τελεῖν. Quid nobis tam optandum potest esse in loco ejusmodi et in menda adeo molesta, quam ut haec eadem dixerit ipse Sophocles? Dixit. Etenim ad haec ipsa chori hortantis verba: βᾶτε κ. ἀ. ὁ. τ. | ν. τ. π. εὖ θέμενοι, τὰδ' ὡς τελεῖν continno Orestes respondet: θάρσει τελοῦμεν, h. e. ,Ch. abite — et haec perficite. Or. bono animo es: perficimus.' Videsis etiam similem locum supra v. 1391 (1398): ἄνδρες αὐτίκα | τελοῦσι τοῦργον. Deinde in eo versu qui verba τὰδ' ὡς πάλιν proxime subsequitur, personae in codicibus ita divisae sunt: OP. θάρσει τελοῦμεν ἡ νοεῖς. HA. ἐπειγέ νυν, quod vitium Seidler De VV. D. p. 247 nullo modo tueri debebat. Immo optime Erfurdio auctore Hermannus ita potius distribuit: OP. θάρσει τελοῦμεν. HA. ἡ νοεῖς ἐπειγέ νυν praefatus verba ἡ νοεῖς certo Electrae esse, idque docere stropham. Nam strophicus versus 1407 (1415) hic est: KA. ὦμοι πέπληγμαι. HA. παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν. At Seidler l. l. personarum ordinem mutandum fuisse negat atque in antistropho respondere posse etiam trimetrum inaequaliter divisum. Qui si meam emendationem nosse potuisset, opinionis errore liberatus cum Erfurdio consentiret. Nam ad chori verba: βᾶτε — τὰδ' ὡς τελεῖν Orestes hoc uno modo respondere debebat: θάρσει τελοῦμεν, neque ullo pacto ita loqui poterat: θάρσει τελοῦμεν, ἡ νοεῖς. Hasce strophas scaena ultima excipit, in qua prodit Aegisthus v. 1434 (1442) isque v. 1437 ita loquitur: σέ τοι, σέ κρίνω, καὶ σέ τῇν ἐν τῷ πάρος | χρόνῳ θρασείαν ὡς μάλιστα σοὶ (non μάλιστα σοὶ) μέλειν | οἶμαι —. Primum explodenda est Reiskii conjectura καὶ σέ (pro καὶ σέ), quae legibus anaphorae repugnat nec minus Sophocle indigna est, quam talis versus: σέ τοι, σέ κρίνω, καὶ σέ, καὶ σέ, καὶ σέ δῆ. Nempe librorum scriptura, quam Elmslejus ad Ajac. 1228 tacito servavit, retinenda est. Uti supra v. 650 (660) chorum paedagogus primo adloquitur more tragoediae servato: ita etiam Aegisthus prodiens chorum primo interrogat, ita tamen, ut v. 1434 verbis τίς οἶδεν ὑμῶν Electram quoque complectatur, quae cum choro tum sola aderat. At chorus, qui caedi se immiscere non debebat, hic (v. 1434—1500) tacet constanter neque ad interrogationem: τίς οἶδεν ὑμῶν —; respondet. Ob hanc pertinaciam Aegisthus anaphora usus chori principem personam iterum interrogat hisce verbis: σέ τοι, σέ κρίνω et proxima demum: καὶ σέ τῇν ἐν τῷ πάρος | χρόνῳ θρασείαν—φράσαι idem dicit conversus ad Electram. Similis locus est Euripidis in Iphig. Taur. v. 1049: σὸν ἔργον ἦδη, καὶ σὸν, εἰσβαίνειν δόμους, ubi σὸν — καὶ σὸν item ad

plures dicuntur, unde Barnesius et (ad Phoeniss. v. 447) Valckenarius *ὑμέτερον* interpretati sunt. VV. 1477. 1478 (1485 sq.). Hos duo versus hic certe Sophocles omnino non scripserat neque eorum loco dederat aliud quidquam, sed v. 1476 et 1479 in hunc modum continuarat: *Ἡ. μὴ πέρα λέγειν ἔα, | πρὸς θεῶν, ἀδελφε, μηδὲ μηχανεῖν λόγους, | ἀλλ' ὡς τάχιστα πτεῖνε* —. Ita subito pro uno duo locos habemus eosque inter se non admodum similes. Nam Electra de homine malefico et parricida agit, quem oculus e medio censet tollendum esse. At in suppositis versibus legimus vitam humanam malis abundare, ut omnibus cita mors expetenda sit. Quare hi duo versus melius aptiusque comparati essent cum Soph. Oedip. Col. v. 1227 sqq. vel cum Aristoph. Pac. v. 366 sq., unde patet bello Peloponnesio saeviente Athenis non paucos fuisse, quos vitae pertaederet. Quid, quod duo versus 1477 sq. prima manus Laurentiani ne habet quidem, sed secunda demum margini eos inscripsit partim in litura scholii. Quare hos versus Dindorfius summo jure delet: rejicit autem quasi ‚futiles et inutiles‘ neque quid sibi velint, demonstrat. Sunt autem hi versus quum per se longe optimi, tum certo enati e scholio deperdito, ubi tanquam similes versus in margine comparati fuerant. Ad scripturam quod attinet, vulgo ita leguntur: *τί γὰρ βροτῶν ἂν σὺν κακοῖς μεμιγμένων | θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι;* Sed in altero versu secunda m. Laurentiani recte dedit *φέρει* (non ut tertia *φείροι* vulgata). Ibidem *θνήσκειν ὁ μέλλων* minime dicitur ‚homo moriturus‘, sed nimirum ‚is qui mori cunctatur‘. Tum in priore versu pro *βροτῶν ἂν* certo corrige *βροτείων* et ita rescribe: *τί γὰρ βροτείων σὺν κακοῖς μεμιγμένων | θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι;* Hoc est: ‚quum sors humana malis commixta sit, quid is qui mori cunctatur e tempore (scil. vitae paullo longioris) percipit lucri?‘ Ceterum (τὰ) *βρότεια* de sorte humana frequentat Euripides, quem vide vel in Iphig. Taur. v. 573. Ipsi versus e tragoedia petiti aut Sophocles fuerant ipsius aut Euripidis. Hinc sequitur primum illos versus e scholio vetusto depromptos esse, non virgula suppeditatos divina: deinde ipsos versus non sane ‚futiles et inutiles‘ censendos esse, sed laudabiles et tragico dignos cothurno. Praeterea alii quidam hujus fabulae versus nobis suspecti sunt, inprimis v. 1164 (1173) ad quem nunc transeo. Electram enim, quae nuntio de morte fratris accepto lugebat, chorus ita consolatur: *θνητοῦ πένητος πατρός, Ἥλέκτρα, φρόνει | θνητὸς δ' Ὀρέστης ὥστε μὴ λίαν στένε. | πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν*. Etsi multo ante idem dixerat chorus v. 849 (860), solatium tamen gravissimum tanto post omnino licebat repetere. Neque ternos coryphaei trimetros Sophocles vitat, quorum loco binos ponere solet Euripides: quo spectat jocus Eupolidis ap. schol. ad Eurip. Medeam γ. 507. Tantum autem abest, ut versus extremus: *πᾶσιν—παθεῖν* langueat, ut hic per se longe sit aptissimus. Plane necessarium eum non esse video, at bene convenientem poetæ ubertati. At, inquit, illud certe magnam debet vim habere, quod hic ipse versus Valckenario observante irrisus esse dicitur ab Aristophane ap. Stobaeum in Floril. CXVIII, 16: *Ἀριστοφάνους Πολυῖδου· Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον λῆρος πολὺς | πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν*. Quanquam autem gnome vulgaris est et alibi velut in Eurip. Alcest. v. 782 quodam simili modo proposita: tamen qui parodiae naturam probe norit, profecto concedet illum ipsum versum, qui nunc in Electra est, ab Aristophane traductum esse. Enimvero in Lect. Soph. I p. 4 docui Sophocles Electram non alia de causa, nisi quod longe optime scripta vulgo omnibus nota erat, ab comicis certatim delusam fuisse, semel

v. 289 ab Aristophane etiam in Gerytade. Tamen Bergkii in Annal. Zimmerm. Nr. 120 a. 1835 p. 962 versum 1164: *πᾶσιν—παθεῖν* ab Sophocle abjudicandum esse contendit, quem potius ad Euripidis Polyidum pertinuisse. Quam conjecturam postea et Bergkii tenuit (in Meineki Fragm. Com. Gr. V. II P. II p. 1133) et Dindorfio Wunderoquo de ejus veritate persuasit. Constat in tanto numero parodiarum, quae sunt apud Aristophanem, perpaucae ad Aeschylum, non multas ne ad Sophoclem quidem, sed plerasque ad unum spectare Euripidem. Et hoc solo argumento incerta ista Bergkii conjectura nititur. Sed quum duo versus 1477 sq. male e scholio irrepsisse supra demonstraverim: Bergkii, qui versum 1164 Euripidis fuisse mavult, dicere poterit, hunc quoque sibi videri e margine et scholio in Electram temere illatum esse. Potuisse id fieri facile largior, revera autem factum esse haudquaquam credo neque tam infirmae opinioni multum audeo tribuere. Alia vel nullam ob causam vel ob minime idoneam in suspicionem adducta sunt, velut hic locus v. 1497 (1505): *χοῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην, | ὅστις πέρα πρᾶσσειν τι τῶν νόμων θελοῖ, | κτείνειν. τὸ γὰρ πανούργον (κακουργόν* Nicephorus, quod merum est glossema) *οὐκ ἂν ἦν πολὺ*. Hi tres versus, quos Dindorfius deiebat, vel maxime genuini sunt. Dicit Orestes, qui maleficum hominem tum maxime ad mortem ducebat, omnes maleficos occidendos esse, ut legum metu nimia contineatur audacia utique communi prospiciatur saluti. Nimirum Sophocles nimiam suorum temporum in suppliciis sumendis lenitatem (quae cadit etiam in aetatem hodiernam) tecte castigat ac prorsus consentit cum antiquis legum latoribus, de quibus eximie Lycurgus in Leocrat. § 64: *καίτοι ῥᾷδίον ἐστίν, ὡς αἶ., πρὸς τὰς τῶν ἀρχαίων νομοθετῶν διανοίας ἀποβλέψαντας τὴν ἀλήθειαν εὐρεῖν. ἐκεῖνοι γὰρ—ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν*. Porro v. 1281 (1289) non tam hoc quaeritur, quid Electra videatur dictura fuisse, quam quid ipse nunc cogitet Orestes. Cogitat autem matri et Aegistho justam necem inferre, qui (ut proci in Odyssea) regni opes effundebat. Quare agendi tempus venisse ait non sermocinandi et tandem vindicandi istorum scelera non diu omnia recensendi. Enimvero hos ipsos versus tres: *καὶ μήτε μήτηρ ὥς κακὴ διδάσκει με, | μήθ' ὥς πατὴρ κτεῖναι Αἰγισθοῦ δόμων | ἀντλεῖ, τὰ δ' ἐκκεῖ, τὰ δὲ διασπείρει μᾶτην* Arndtio (in progr. Neobrandenb. a. 1854 p. 15) placuit delere. At quid aliud est, e Sophocle Sophoclem ipsum sublatum velle, nisi necessariam fabulae oeconomiam turbando tollere, quae sane poscit, ut hi versus servantur: qui si in codd. excidissent, signis opus foret lacunae. Ceterum de omni hoc conjecturarum genere in poetis scaenicis quae mea sententia sit, alio loco ostendam. Nunc quidem hoc unum dico, perpaucae me in Electra versus invenisse de hac fraude suspectos, pauciores etiam certo subditivos. Nam qui multos versus temere ejicere audent, cum Sophocle mihi videntur pessime Euripidem confundere, cujus poetae longe alia ratio est. Sed in prima harum lectionum parte ad v. 506 (516) perventum erat, ubi prodit Clytaemnestra. Nunc ibidem pergam attingamque etiam alios locos haud ita multos: nam brevitati serviendum est. V. 676 (686) sermo est de Oreste in ludis scilicet Pythicis cursore: *δρόμου δ' ἰσώσας τῇ γέσει τὰ τέρματα, | νίκης ἔχων ἐξῆλθε πάντιμον γέρας*. Pro absurdo isto *τῇ γέσει*, quod libri omnes cum scholiasta et Suida exhibent, jam olim Musgravius intellexit *τὰ γέσει* (i. e. *τῇ ἀφέσει*) corrigendum esse optimeque id probavit Brunckio, Erfurdio, Schaefero, Dindorfio. At Wunderus mendam *τῇ γέσει* non dubitat tueri, Nauckius autem

feliciter eam emendatam esse negat atque adeo transponere hos versus conatur, qui nunc loco positi sunt aptissimo. Denique Hermannus suscepta correctione *τάφρσει* ad novam interpretationem eamque ineptam aberravit, quum haec et ab ipso Musgravio et a Brunckio recte explicata essent. In qua re profecto non frigidum acumen inest aut a Sophocle alienum. Quodsi de stadii cursore agitur, superlatio veritatis sive *ὑπερβολή* omnino modica est. Etenim si tam brevem cursum victor summa celeritate peregerat: spectatores vix oculis accredebant cernentes momento temporis ab cursore finem curriculi cum initio paene exaequatum esse. Quomodo autem ab Sophocle id alienum dici potest, quod atticorum usu receptum ac tritum propemodo in proverbium abiit? Hoc enim testatur usus rhetorum, ut Luciani in Timone, c. 20: *ἅμα γοῦν ἔπρσεν ἡ ὕσπληγξ καὶ γὰρ ἤδη ἀνακηρύττομαι νενικηκώς, ὑπερπηδήσας τὸ στάδιον οὐδὲ ἰδόντων ἐνίοτε τῶν θεατῶν*. Ad quem locum ego (in edit. Luciani Vol. III P. I p. 158) ex Anthol. Pal. XI, 86 epigramma de Lada cursore contuli, ab Henrico Jacobi illud egregie suppletum, in quo inde a v. 3 haec legas: *Λάδας τὸ στάδιον δ' εἶθ' ἤλατο εἴτε διέπτη, | δαιμόνιον τὸ τάχος κοῦδὲ φράσαι δυνατόν. | ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι, καὶ στεφανοῦτο | Λάδας, καὶ Περικλῆς δάκτυλον οὐ προέβη*. Huc accedit Antipatri Sidonii epigramma XXXIX de Aria cursore: *ἡ γὰρ ἐφ' ὕσπληγγων ἡ τέματος εἰδὲ τις ἄκρον | ἡῖθεον, μέσσω δ' οὐποτ' ἐνὶ σταδίῳ*. Nunc demum elucet in Sophocle Musgravi emendatione *τάφρσει* nihil cogitari posse certius.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolice comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum secundum fontes symbolicos quinque diebus tradet h. XI; 2) privatim Pauli ad Corinthios epistolam primam interpretabitur quinque p. h. h. XII; 3) publice die Saturni h. III et h. IV Pauli ad Corinthios epistolam alteram explicabit.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiam Vet. Foederis enarrabit, quinque p. h. scholis hora III; 2) privatim Jesajae vaticinia interpretabitur, quinque p. h. hora IV; 3) publice Jesajae contra exterarum gentes edita oracula (c. XIII sqq.) binis p. h. scholis explicabit, horis definiendis; 4) privatissime sed gratis selectas veteris et medii aevi ecclesiae conciones sacras analytice tractandas proponet, binis scholis die Merc. hh. VI—VIII vesp.; 5) publice in Seminarii sodalitate homileticas sodalium exercitationes moderabitur, die Sat. hh. IX—XI.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinque p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinque p. h. h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.
- D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim de vita et doctrina apostolorum disseret quater p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinque p. h. hora IX—X et die Veneris h. VIII—IX; 3) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas binis p. h. scholis horis definiendis instituet.
-

In ordine juridico.

- D. Hugo Boehlau, P. P. O., privatim 1) jus Germanicum privatum docebit quinque h. XII; 2) jus feudale tam commune, quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV; 3) juris Mecklenburgici privati praecepta tradet ter p. h. h. IV.
- D. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II (obligationes) quinque p. h. scholis h. X docebit.
- D. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum quinque p. h. scholis docebit hora V; 2) juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta tradet bis p. h. hora III; 3) encyclopaediam juris universi docebit ter p. hebdomadae h. h. c. c.
- D. Gustavus Kretschmar, P. P. O., 1) institutiones juris Romani docebit quinque h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinque p. h. scholis h. XI; 3) practicum, quod vocant pandectarum instituet h. h. c. c.
-
- D. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) theoriam processus civilis ratione Mecklenburgici juris habita senis p. h. scholis h. XI, 2) jus criminale Germanicum senis p. h. scholis h. III docebit.
-

In ordine medico.

- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.
- D. Hermannus Adolphus Aubert, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X, 4) privatim Hygieinam diebus Martis et Veneris h. V—VI, 5) privatim Physiologiam animalium generalem dieb. Mercurii et Saturni h. V—VI docebit.
- D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.
- D. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h. h. IX et 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.
- D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam d. d. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X, 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 4) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.
- D. Aemilius Ponfick, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim pathologiam generalem quotidie hora III—IV docebit; 2) privatim cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae, nec non exercitationes necropticas binis horis ter per hebdomadem moderabitur.
- D. Carolus Gaetgens, P. P. O., 1) formulas medicamentorum scribere docebit die Lunae h. IV privatim; 2) pharmacologiam tradet quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV privatim; 3) de urinae analysi cursum habebit binis diebus Martis et Veneris h. XII publice; 4) exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater, horis definiendis privatim.
- D. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) akiurgiam tribus diebus h. X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI moderabitur.
- D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) gynaecologiam theoreticam ter per hebd. docebit; 2) cursum operationum gynaecologicarum ter per hebd. habebit.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI T. Lucreti Cari „De rerum natura“ libros I—III interpretabitur et 2) binis diebus h. XI de omni re scaenica Graecorum Romanorumque disset. Denique 3) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Sophoclis Ajax et Bacchides Plauti legentur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebd. Apollonii Rhodii Argonautica, 2) ter per hebd. Juvenalis satiras interpretabitur. Privatissime quater per hebd. de scriptoribus eroticis graecis Byzantinae aetatis disset.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit, 1) publice: astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim: geometriam analyticam quater p. h.; 3) privatim: geologiam quater p. h.
- D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum, sexies p. h. hora IX, 2) politiam, quater p. h., hora VIII.
- D. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinque diebus h. XII; 2) privatim de Gallorum seditione a. 1789 exorta disset ternis diebus h. II; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet binis diebus.
- D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IV—V, 2) logicen et metaphysicen quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora V—VI, 3) aestheticen bis per hebd. die Veneris hor. IV—VI docebit.
- D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim Godofredi Argentoratensis poëma Tristan interpretabitur ter per hebd. hora X—XI; 2) privatim syntaxin linguarum romanarum docebit bis per hebd. hora IX—X; 3) privatissime exercitationes cum sodalibus instituet de litterarum germanicarum historia saeculi XVII et XVIII bis per hebd.; 4) publice colloquia diriget de quaestione orthographica germanici sermonis nuper tractata; 5) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo parva poëmata Tristanum celebrantia atque liber popularis tractabuntur bis per hebd. horis IX—XI.
- D. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis privatim; 2) de generanda et conservanda animalium subole disset binis horis privatim; 3) de tellure per canales subterraneas siccanda tum de pratis irrigandis et bene colendis binis horis privatim; 4) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis privatim.
- D. Oscar Jacobsen, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebdomadem moderabitur.

- D. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem primam (introductionem generalem, systema et anatomiam comparatam animalium vertebris carentium) quinquies per hebd. privatim tractabit; 2) de organi visus animalium structura disseret semel per hebd. publice 3) exercitationes zoologico-zootomicas quotidianas instituet, privatissime.
- D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebd.; 2) physices theoreticae selecta capita tradet bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae solito more instituet; 4) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.
- D. Richardus Förster, P. P. O., privatim 1) antiquitates Atticas enarrabit scholis ternis per hebd. hora IX; 2) praefatus de vita ac poesi Pindari carmina explicabit quaternis scholis per hebd. hora X; 3) publice in societate philologa Horatii carmina tractabit bis p. h.; 4) exercitationes archaeologicas semel p. h. moderabitur.
- D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 2) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Nahumi, Habacuci ter p. h. explicabit; 3) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 4) gratis societatem habebit grammaticam, in qua interpretationi prophetarum Joelis et Amosi bis p. h. praeerit.
- D. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de nutritione plantarum bis per hebd. disseret; 2) introductionem in chemiam agrariam bis per hebd. tradet; 3) practicum agrario-chemico-physiologicum quater per hebd. reget.
- D. Carolus Weinholtz, 1) privatim artium liberalium qualitates diversas illustrabit; 2) colloquia ideistica offert.
- D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia litterarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.
- D. Felix Lindner, gratis 1) grammaticam linguae franco-gallicae historice docebit ter p. h.; 2) Chauceri carmina quibus inscriptum est Canterb. Tales bis p. h. interpretabitur; 3) exercitationes linguae franco-gallicae semel p. h. reget.

Bibliotheca nostra diebus et horis lege constitutis, conclave **judiciis** academicis et **secretarii** officiis destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticam publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Aubert, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann, Th. D.**

Juriconsultorum **Augustus Thon, J. U. D.**

Medicorum **Aemilius Ponfick, M. D.**

Philosophorum **Oscar Jacobsen, Ph. D.**